



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

15. Serpentum & draconum stupenda cicuratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

est genti: non supra naturam, cum neq; rostratis animalibus hæc venena obsint, quorum antidotum potest & homini à natura dari, vt muniatur, & venenata non metuat, sed metu coërceat. Quæ non tantum subigit timore, sed etiam familiaritate.

XV.

Plin. li. 10. 74.

*De aspidē miraculum Philarcho reddatur, is enim auctor est, cum ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur aspidē, enixam catulos, quorum ab uno filium hospiti interemptum: illam reuersam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, nec*

Diog. Laërt. in vita eius.

*postea in tectum id reuersam. De Heraclide Philosopho Pontico Laërtius refert, quod cum adhuc puer esset, draconem enutritu uerit, quem, quoad vixit, habuerit deinceps domestica conuersatione. Poterat de hoc dici: Et delectabitur infans ab ubere, super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ab lactatus fuerit, manum suam mittet.* Quod & alij conuenit. Cuius est, in Achaia, nomine Patra.

Ista. n. 3.

Aelian. lib. 13. var. hist. c. 46.

*In ea puer (Thoas ab alijs nominatus) draconem parvulum emebat, magnamq; eum cura educabat. Cumq; creuisset, loquebatur, quasi cum intelligente, ludens, ac dormiens cum ipso. Quum uero ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à cibus ei dimissus. Post, cum puer adolescens factus, reuersus à spectaculo quodam, cum aliquibus equalibus, in latrones incidisset, & clamorem extulisset, ecce draco præsto est, & alios in fugam uertit, alios interimit, ipsum uero saluum conseruat. Vides educatos in familiaritatem serpentes, immo dracones, sed, postquam nimium excreuerunt, in loca sola eliminatos. De alio xxx. cubitorum serpente capto, Alexandriam peruecto, ac fame cicurato, alibi historiam prolixè recitauit. De Roscio Fabato Tullius ita scribit: Quid amores, ac delicia tua Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lannium totum mentiebat ut? qui, cum esset in cunabulis, educareturq; in Selonio (qui est campus Lannini) nobis lumine apposito, experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplexum serpentis amplexu, quo aspectu exterrita, clamorem sustulit. Pater autem Roscij ad aruspices retulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Nempe quia & Herculem serpentes in cunis clarum fecerunt. Legimus & Tiberium Cæsarem serpentem draconem in delicijs habuisse, eique ex consuetudine, manu sua cibum ministrare solitum; quem cum is cotrosus à formicis reperisset, monitus est, cauendam sibi esse uiam*

In serpente.

explicato ex

Diodoro Si-

culo. lib. 3.

bibliothec.

hist. n. 36.

Cic. lib. 1. de

diuin.

Suetonius in

Tiberio.



multitudinis. Formicas enim populi significatum habere, non fabula tantum Pelei Thessaliae regis, verum & prodigiosa somnia declarant. Nam & Nero paulò antè, quàm exstingueretur, visus est sibi per somnium pennatarum formicarum multitudine oppleri. Vterque igitur & Roscij, & Tiberij serpens innoxius, vterque fatidicus fuit; quamvis fortasse, non sine superstitiosa credulitate. Quemadmodum & ille draco, quem impostor quidam per Pontum circumduxit, vulgoque persuasit, eum esse Pellæum Æsculapium, certaque responsa dare solere. Deridebant Christiani eam imposturam, & præstigias detegebant. Qua de causa, si vellet oracula sua instituire, Atheniensium ritu, denunciatio fiebat talis: *Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum explorator accessit, discedat.* Sub hæc protinus expellebantur, illo præeunte, dicenteque: FORAS PELLANTVR CHRISTIANI. Non poterat nimirum, his præsentibus, fatuos homines fallere Orcus, Christi virtute eneruatus: sicut & Paulus spiritum Pythonem è puella expulit. *Videntes autem domini eius, quia exiuit spes questuum eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram.* Falli sunt ergo potestatem hominibus dari non in serpentes modò, sed etiam in pythones & dæmones serpentum moderatores, & rectores. Quamobrem magnum adhuc nobis relictum est in bestias dominium; & verè dixit Iacobus: *omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Miriora Lucianus de dracone Alexandri Pseudomantis; & plura Casaubonus, curis secundis ad Suetonium, Torrentius in Tiberium Suetonij. Justinus certè tradit, ita olim Hannibale auctore, contra Eumenem, regi Prusiae serpentes profuisse, vt nouo commento victor existeret. Nam omne serpentium genus in fictiles lagenas conijci iussit, medioque prælio in naues hostium misit. Id primùm Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus naues repleti cœpere; ancipiti periculo circumuenti, hosti victoriam cessere.

Lucian in Alexandro.

Act. 16. 19.

Iac. 3. 7.

Iustin. lib. 30.

32.

XV L

Cur autem addit, & ceterorum? num aliud restat genus animalium? Restat vtique, nempe piscium. At de his maior est difficultas,

A a 3

ficultas,